

**Tentamen medicum inaugurale de hydrothorace ... / eruditorum examini
subjicit Georgius Deare Meadows.**

Contributors

Meadows, George Deare, -1853.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ng73mpfm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(1) Tracts 1678

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
HYDROTHORACE;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

PLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS DEARE MEADOWS,

Anglus,

CHIRURGUS,

SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
—— corpore languor.

HORAT. Lib. ii. Carmen 2.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

Ist Woodforde Esq
With the Compliments and best
Wishes of the Author.

JACOBO HAMILTON JUN. M. D.

COLLEGIUM REG. MED. EDINBURG.

ARTIS OBSTETRICÆ

IN ACADEMIA EDINBURGENSI

PROFESSORI

SC. M. D.

OPUS TERTIUM IN ARTE SUA EQUA AC SCIENTIA

IN TOTÂ MEDICINÂ RATIONE

EXIMIOQUE LATE ET PROFUNDÉ

HOCCE OPUSCULUM

EXIMIO SUMME OBSERVANTIE INDICUM

ANIMO OB FLUMINA GRATIO

D. D. D. D.

DISCIPULUS

AUCTOR

EDINBURGH

PRINTED AT THE PRESS OF

W. & A. K. L.

VIRO CLARISSIMO

JACOBO HAMILTON JUN. M. D.

COLLEGII REG. MED. EDIN. SOCIO,

ARTIS OBSTETRICÆ

IN ACADEMIA EDINBURGENA,

PROFESSORI,

ꝯc. ꝯc. ꝯc.

CUJUS PERITIA IN ARTE SUA ÆQUE AC SCIENTIA

IN TOTA MEDENDI RATIONE

NEMINEM LATET ;

HOCCE OPUSCULUM,

EXIGUUM SUMMÆ OBSERVANTIE INDICIUM

ANIMO OB PLURIMA GRATO,

D. D. D.QUE

DISCIPULUS

AUCTOR.

VIRI ESTATISTARUM

JOHANNI P. PORTER, M. D.

ACADEMIAE ROMANAE ARTE CHIRURGICA LICENTIATO

PHILOSOPHICAE SOCIETATIS LONDINENSIS SOCIO

PHILOSOPHICAE ET LITTERARIAE SOCIETATIS PORTSMUTHENSIS

PRESIDI EMENTO

8c. 8c. 8c.

NOBILI COMITATE ATQUE ARTIS SUE PERITIA

ECCE CONSPICUO

HOC TENTAMEN

PERPETUE OBSERVANTIAE TESTIMONIUM

NOBILI ET

GRATO ANIMO

PROPTER MULTA IN SE COLATA BENEFICIA

CONSERVAT

DISCIPULUS

AUCTOR

AUCTOR

VIRO SPECTATISSIMO

JOANNI P. P. PORTER, M. D.

ARCHIGYMNASIO ROMANO ARTE CHIRURGICA LICENTIATO,

PHILOSOPHICÆ SOCIETATIS LONDINENSIS SOCIO,

PHILOSOPHICÆ ET LITERARIÆ SOCIETATIS PORTSMUTHII,

PRÆSIDI EMERITO,

ꝯc. ꝯc. ꝯc.

MORUM COMITATE ATQUE ARTIS SUE PERITIA,

ÆQUE CONSPICUO ;

HOCCE TENTAMEN,

PERTENUE OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

ET

GRATO ANIMO,

PROPTER MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA,

CONSECRAT

DISCIPULUS

AUCTOR.

DIXON MEADOWS, ARMIGERO.

2. 2. 2. D.

FILIUS

Volo, Pater Carissime, hanc pretermittere occasio-
nem publicis testandi quantus Tibi debeam, propter opti-
mam examinandae curam, quae me curis studiis imbuere
dum curasti, quodque me semper fovisti, — cuius, dum vita
manet, non, ut spero, immemor ero. Ut Deus dñi Tibi
vitam conservet atque omnia prospera concedat, mandavi
precari desinam. — Vale.

Dabam Edinburg.
Pater Rex Augusti noster.

DIXON MEADOWS, ARMIGERO,

S. P. D.

FILIUS.

Nolo, Pater Carissime, hanc prætermittere occasionem publice testandi quantum Tibi debeam, propter optimam eximiamque curam, qua me variis studiis imbuedum curasti, quaque me semper fovisti,—cujus, dum vita manet, non, ut spero, immemor ero. Ut DEUS diu Tibi vitam conservet atque omnia prospera concedat, nunquam precari desinam.—Vale.

Dabam EDINBURGI, }
Prid. Kal. Augusti MDCCCXXIV. }

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
HYDROTHORACE.

Auctore GEORGIO DEARE MEADOWS.

MALA quibus corpus humanum obnoxium est, adeo diversa atque numerosa sunt, ut dictu difficillimum sit, ad quæ, præ cæteris, animum intendere oporteat. Ea procul dubio, quibus spiritus functiones tentantur, locum nullis secundum occupant, quoniam a sana earum actione, vita prorsus pendet.

In naturali corporis conditione, thorax eximie accommodatur, figura, mole, motione, atque sese

ampliandi potestate, ad spiritum perficiendum ; qui, sine dolore, molestia, aut fatigatione, per multos annos, vigore ejus nihil imminuto, præstari potest. Pars interior thoracis tenui pellucidaque membrana investitur, quæ in pulmones, pericardium, et vasa magna e thorace procedentia reflectitur, et septum efficit inter pulmonem dextrum atque sinistrum. Per exhalantia vasa, quibus ea membrana instruitur, halitus aquosus continuo effunditur, qui cavum lubricat, motusque expedit partium, quæ in eo continentur. In nimia hujus liquoris quantitate verus Hydrothorax Idiopathicus consistit ; quod vitium pro coacervati humoris ratione, nequit non multum impedire pulmonis actiones ; quippe quod prohibet ne rite amplietur, ac ne, vitæ pabuli (si ita loqui liceat) justam copiam accipiat : hinc sanæ turbantur actiones, et morbus statim sequitur, iis comitantibus indiciis molestis, quæ necessario a tali causa oriuntur.

DE DEFINITIONE.

HANC definitionem Doctor CULLEN proposuit ; “ Dyspnœa, faciei pallor, pedum œdemata, “ urina parca, decubitus difficilis, subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio, “ aqua in pectore fluctuans.” His indiciis adjectus est “ stupor brachii *,” quod signum vix, si unquam, urgere potest, donec humor effusus tanta sit copia, ut vasorum plexum ad axillam procedentem comprimat. Quod ad aquam in pectore fluctuantem pertinet, objici potest, quod raro percipi potest, nisi quum jam morbus ad summum pervenerit, et, in nonnullis exemplis, nunquam perstante vita. Si non liceret morbum sine eo signo pro Hydrothorace habere, eundem inter rarissimos recensere oporteret. Multa prohibent ne res facile detegatur ; ipsa thoracis figura, et costarum, musculorum inter costas, et diaphragmatis motus continuus ; neque thoracis percussio,

* SAGAR. Class VIII. Ord. ii. Gen. 12. p. 256.

qualem AUENBRUGGER * proposuit, quantumvis caute peracta, rem satis certam reddit. In plerisque exemplis fluctuatio percipitur ipso ægro, ex motu corporis ubi recumbit : et fieri potest, ut id sit primum testimonium morbi diu suspecti ; non in omnibus vero certum est, quoniam ægri sensus aliquando eum fallunt.

De pulsus conditione Doctor CULLEN nihil dixit : is plurimum afficitur, pro morbi causa atque diuturnitate ; frequens plerumque est ac infirmus. Attentionem præcipue meretur, quoties alii morbi putantur simul urgere, quoniam in exemplis dubiis inter signa maxime certa est.

Hydrothorax potest esse vel Idiopathicus vel Symptomaticus.

I. Idiopathicus primum habens initium a simplici affectione absorbentium aut exhalantium, aut utrorumque.

Sic,

a. Exhalatione aucta, absorptione nihil mutata.

b. Exhalatione aucta, absorptione prorsus deficiente.

* AUENBRUGGER, De Percussione Thoracis, p. 55.

II. Symptomaticus morborum pulmonis, cordis, vasorum magnorum, et membranarum in thorace sitarum, aliorumque multorum morborum.

In forma idiopathica hujus morbi, spiritus difficultas quovis nisu intenta primum facit initium; anxietas ad sternum percipitur; post aliquod spatium vultus insolitum aspectum ostendit, quasi dolorem vehementem significaret, aliquando pallidus aut lividus, aliquando rubescens. Sanguinis circuitus male afficitur; anxietas augetur, recumbente ægro; somnus subinde turbatur cum somniis. Secretiones male se habent. Cutis halitus aut ex parte aut prorsus deficit; cutis tacta sensum asperum ingratumque præbet. Lingua arida est; et salivæ copia imminuitur: hinc fundamentum vitiatæ concoctionis ad initium ponitur. Nexus, quem Anatomia intervenire ostendit inter lymphatica thoracis atque ea glandularum salivæ, eam rem facile explicat, quoniam, actione morbida orta in vasis alicujus partis, omnia quæ cum ea parte communicant; defectum stimuli patiuntur, portione iisdem naturali ad

partem vitiatam directa, auctumque humorum impetum ad eandem excitante. Plerumque tamen homo sitim non queritur. Urina rubra et parca est, et sedimentum lateritium aut rubrum copiose demittit: nonnunquam odor ejus fere foetidus est. In multis exemplis tum Hydrothoracis tum aliorum hydropis generum, urina coagulatur calore multo minore quam quo opus est ut aqua bulliat. Secundum Doctoris BLACKALL * opinionem hæc urinæ coagulatio pro signo Diathesis Inflammatoriæ in corpore habenda est; sed id minus certum est.

In exemplis vehementioribus hujus mali palpitatione, anhelatio, syncope, et tussis, aut sicca aut cum expectorata materia, accedunt. Hæc indicia lente admodum oriuntur, et ciborum appetitus tantillo imminuitur, ut morbus diu urgeat, antequam apud medicum in suspicionem venit. In nonnullis tamen celerrime usque ad instantem suffocationem festinat. In aliis macies evidens est, cum ingenti infirmitate, et si humoris effusio copiosa est, sæpe sese diffundit per summum cor-

* BLACKALL on Dropsies.

pus; partes extremæ inferiores œdemate afficiuntur, et si id ad manus extendit se “stuporem brachii” afferre potest, nervis vasisque inde compressis.

DE CAUSIS.

CAUSÆ omnium hydropum quodammodo similes sunt. Eæ quæ ad Hydrothoracem proprie pertinent, sunt cunctæ thoracis conditiones quæ partium in eo sitarum inflammationem facile creant; omnes febres et inflammationes in quibus ingentes exinanitiones factæ sunt, ita ut magna infirmitas orta sit; cœlum humidum frigidumque, liquores ex alcohole confecti nimia copia sumpti, diuturni corporis nisus, nimia corporis plenitudo, torpor in humoribus per corpus fluentibus, aut in vasis eisdem continentibus, atque secretio præter modum aucta, æquilibrio inter hanc et excretionem deleta.

Quod ad sexum attinet, forma mollior et solidarum partium major laxitas in fœminis, eas procliviores ad hunc morbum redderet, si æque ac

viri causis excitantibus objicerentur. Affectus mutationesve organorum, quæ respirationi circuituique sanguinis inserviunt, inter causas hujus morbi sunt, et si functiones concoctionis turbantur, idem aliquando affertur. Ars quæ exercetur, vitæ ratio, atque cœli vicissitudines, plurimum ad hunc morbum conferunt, in hominibus in quibus proclivitas antea existit. Ex quibusdam experimentis non videtur hydropem posse arte induci; infusa enim haud parva humoris copia in thoracem celeriter absorpta est, nisi vires corporis prius imminutæ sint, sanguinis detractione aliisve causis quæ corpus infirmant. Ductus thoracicus ruptus (quod rarissime fit) pro causa hujus mali habitus est: ex quo necesse est, ut ingens macies oriatur, nutritione corporis subito impedita; par ratione quivis ex truncis lymphaticis præcipuis ruptus, effectum similem, etsi minus late, nequit non præstare.

DE DIAGNOSI.

QUANQUAM nonnulla ex signis jam recensitis adsint, non ideo judicandum est hunc morbum incidisse. In forma hujus morbi acuta, quæ post viscerum thoracis inflammationem accessit, non expectandum est, ut subita excitatio e somno, cum somniis terrentibus, tam conspicua sit. Sed anhelatio cum recumbendi impatientia, pulsuque parum stabili, satis planum hujus mali testimonium est. Fieri quoque potest ut figura externa thoracis mutetur, spatiis inter costas protrusis per humorem collectum: motus tremulus præterea et leviter spasmodicus musculorum, in iis partibus nonnunquam conspici potest. Signa vero, quæ in vultu spectantur, satis superque ægri miseriam depingunt, præsertim in vetusto morbi genere; in quo homo mediæ ætatis aspectum senioris ostendit; lineamenta enim collapsa sunt, qualia in homine ad asphyxiam vergente; oculi subinde ex orbitis protruduntur, atque alio tempore hebescentes languidique in iisdem sub-

sidunt. Siquando dyspnœa et vultus mutatus adsunt, etsi pulsus adhuc sit modicus, metuedum est ne effusio jam facta sit: si urina simul parca est, et sensus molestus plenitudinis post cibum percipitur, de morbo dubitare non licet.

Plures sunt morbi, qui cum Hydrothorace confundi possunt.

Ab Empyemate dignosci potest, si res, quæ antecesserunt, accurate perscrutemur; quoniam necesse est, ut inflammatio ad suppurationem pro-
vecta eum morbum anteat: suppuratione autem post inflammationem facta, dolor intermittitur in affecta parte, et obtusum pondus, horrores et nausea oriuntur; denique, prioris febris signis subito sublatis, febris hectica accedit, quæ Hydrothoracem non comitatur, etiamsi summa macies adsit.

Ab Asthmate internosci potest, quia in eo malo spirandi difficultas in paroxysmis incidit, pro spatio tantummodo urget, sublevatur accessione tussis, inter paroxysmos exacerbatur, et stridor peculiaris conatus ad respirationem comitatur; porro, in hoc morbo tussis plerumque urget et magis vexat, et urinæ copia post paroxysmum augetur, quæ res non in Hydrothorace incidunt.

Nonnunquam tamen fit ut hi duo morbi simul corpus infestent.

Angina pectoris distinguitur paroxysmis vehementissimis, cum magno dolore in cordis regione atque suffocationis sensu, pulsu haud raro affecto, necnon palpitatione et cruditate. Præcipue vero inter hunc morbum atque Hydrothoracem discrimen faciunt, accessio ex repentino, manifestum levamen quod subsequitur, urina parum si omnino mutata; et præ cunctis, modus quo invadit: angina enim, erecto corpore, et inter exercitacionem, ut in ambulando, hominem occupat, quod nunquam fit in Hydrothorace.

Hysteria inordinata vix confundi potest cum Hydrothorace, quanquam in nonnullis exemplis pauca ex ejus indiciis similia sint. Plerumque hi morbi multum inter se differunt: illius enim accessiones nulli parent legi, neque similes sunt quod ad vehementiam aut diuturnitatem attinet. Urina copiosa et limpida est; in altero parca et rubra; ætas quoque et sexus in iisdem plerumque differunt; quoniam viri magis sunt proclives ad Hydrothoracem, et præterea in altero accessiones nunquam non magis repentinæ sunt,

quam in copiosissima effusione; et animus maxime irritabilis est, quod raro fit in Hydrothorace, quocunque modo æger malis plectatur. Palpitatio cordis magis vehemens est, paroxysmum antecedit, et brevi finitur; in Hydrothorace vero, quum jam accessit, parum intermittitur, præcipue si levissimum vitium organorum in thorace adfuerit. Singultus quoque, qui fere paroxysmum hystericum subsequitur, in altero deest.

Cordis palpitatio semper in paroxysmis incidit, quoties idiopathica est, atque ab alia causa quam effusione hydropica orta est. Id malum positu corporis parum afficitur; corporis actiones non tantum turbantur; pulsus non nisi per intervalla variat. Sæpe tamen hydropem antecedit, et duo hæc mala simul infestant.

Aneurisma Aortæ magnorumque vasorum insignitur dolore perpetuo ad sedem mali. Secum affert dyspnœam vehementem, quoties tumor tantam attigerit molem, ut sanguinis motum impediat, prohibeatque ne oxygenium rite accipiat: ex quo anxietas, vultus lividus, aliquando rubescens, hunc morbum, non secus atque Hydrothoracem, comitantur.

Ad diagnosin hujus morbi magis accuratam instituendam, illud instrumentum, quod LAENNEC* nuper invenit, nomenque Stethoscopium imposuit, magnam promittit spem. Professor celeberrimus, in nostra Academia, Doctor DUNCAN jun. id instrumentum experiri solet, censetque eam laudem mereri quam auctor eidem vindicat. Idem Professor suadet simul uti percussione, monetque difficile esse primis conatibus quidquam ex eo discere, sed tempus et experientiam commodiorem ejus usum præstare. HIPPOCRATES† suadet aurem admovere, ut detegatur an humor adsit. Si id instrumento jam dicto disci potest, “aqua in pectore fluctuans” inter indicia a Doctore CULLEN positum, pro parte justæ definitionis haberi potest.

* LAENNEC, On Diseases of the Chest.

† HIPPOCRATES, De Morbis, Lib. ii.

DE PROGNOSI.

SPERARE licet hunc morbum decessurum esse, quoties æger junior, validus et potius ad corporis plenitudinem proclivis est; si corpus ei non prægressa valetudine infirmatum est, et si symptomata facile remediis adhibitis cedunt. Si res non ita se habent, tantummodo expectandum est, perniciosum exitum posse prorogari et vitam per aliquod tempus homini servari. Quoties a pravo genere vitæ et intemperantia allatus est morbus, hominem plerumque extinguit, et procul dubio, si organa in thorace posita simul vitiantur. In iis qui ejusmodi vitam egerunt, cordis vitia sæpissime incidunt, ex quibus lethalis exitus maxime festinatur. Si Hydrothorax post sanitatem restitutam iterum invadit, quantumvis prospere curatio peracta sit, et etiamsi morbus recidivus non periculosus videatur, prognosis admodum incerta erit; quoniam vix dubitari potest, quin vitium aliquod vasorum absorbentium, exhalantium, aut organorum quæ respirationi in-

serviunt, urgeat; quæ res, corpore infirmato, neque ad sustinendam justam curationem pari, omnes medici conatus ad sanitatem reddendam inutiles reddit. Si hic morbus a prava thoracis conformatione ortus est, nulla vitæ spes relinquitur, quoniam verisimile est a vitiata ossium fabrica pendere. Siquando confugiendum est ad thoracis paracentesin, omni cura considerandum est quis sit eventus: ea enim sæpissime lethalis fit, quia non nisi nimis sero peracta est.

DE CADAVERIS SECTIONE.

NIMIS sæpe fit ut ea, quæ, secto corpore, in conspectum veniunt, minime his respondent quæ indicia prius suaserint: tantopere peritissimi aliquando sese fallunt. Haud raro evenit ut nonnulla cava humore penitus repleta sint, quum ne suspicio quidem inciderat aliquid effusionis extitisse.

Ea quæ in secto corpore spectantur, hoc modo disponi possunt.

1. Humor effusus.

2. Vitia mutationesque a sana structura in thoracis organis.

1. Humor effusus admodum variat quod ad copiam, aspectum, fluiditatem, pondus specificum, et chemicas dotes. In nonnullis exemplis liquor prorsus limpidus est, neque discolor, neque acridus, neque foetidus. Res ita se habet, si morbus ad eventum festinavit; alias turbidus est atque commixtus coagulis, pure, substantiis filamentosis, aut lymphæ coagulata; foetidum emittit odorem, atque saporem acidum nauseantemve præbet. Colorem dilute flavum habet, sæpe, si morbus diu traxit, sanguine tinctum; nonnunquam magna ex parte sanguis est, ubi æger subito interemptus est ex aliquo magno vase sanguifero vel, quod incidit, corde ipso disrupto. Si liquor calori satis magno objicitur, plerumque coagulatur, eo modo quo sanguinis serum propter albumen in eo contentum; quod tamen non perpetuo fit. MORGAGNI primus notasse videtur liquorem in hydropico corpore collectum, admoto calore, se coagulare. Ille, quum de humore in

thorace hydropici invento, loquitur, hæc dixit:
“Hoc quoque igni impositum eodem modo quo sanguinis serum concrevit.”

2. Proximum est, ut dicam de vitiis quæ conspiciuntur in thoracis organis. In forma hujus morbi cum aliis malis conjuncta, pulmones vel in substantiam hepatis similem vertuntur; vel scirrhus, tuberculis, ulceribus, corrumpuntur: abscessus quoque inveniuntur, hydatidesque atque ossea materia sæpe ad fines bronchiorum conspiciuntur: neque rarum est ut cellulæ spirituales obcoæcentur, et fieri potest ut pulmones in gangrænum abierint; quod tamen rarissime incidit. Incisa ipsa pulmonis substantia, nunc materia caseo similis, nunc concretiones calcariæ in conspectum dantur. Pulmo vel alter vel uterque mole nonnunquam imminuitur. Mihi videre contigit exempla quinque, in quibus pulmo sinister prorsus evanuerat, dextro nihil affecto nisi paucis adhesionibus: nonnulla filamenta in humore natantia pro reliquiis erant vasorum atque nervorum; sed adeo mutata erant, ut e situ submota vix dici posset ad quam partem pertinerent.

In his exemplis pericardium multo crassius

solito erat; pars ejus externa punctis extantibus tegebatur, et in nonnullis partibus vestigia membranæ *organizatæ* detecta fuerunt. In aliis exemplis pleura sola vitiata est, sicut inflammatione, adhæsione, pure superficiem ejus tegente. Humor sæpe in sacculis sive cystis continetur. Quomodo hi sacculi formentur, fortasse hac ratione explicare licebit: post inflammationem pleuram occupantem, effusio modica fit; vasa tunc temporis haud multum turbata sanam eorum actionem redintegrare conantur, atque magis liquidam partem absorbent; ex quo embryo (si ita loqui liceat) futuri sacculi relinquitur, adhærens omni ei parti, unde effusio facta est. Quum iterum inflammationis actio fit, hæc nova membrana, jam fortasse vitæ organis instructa, humore exhalato protruditur; quo vero humore juxta vasculorum ostia retento, tanta irritatio excitatur ut sacculus plus humoris accipiat et paulatim inde distendatur, donec magnam partem cavi occupet, et spiritus organa comprimant, turbent, tandemque eorum functionem prohibeat. Par videtur esse ratio œdematis vel anasarcae pulmonis, atque auctæ membranarum densitatis.

Rupto sacculo in thorace homo sæpe ex repentino extinguitur, aut a syncope orta propter pressuram subito submotam, aut a copiosa sanguinis profusione.

Pericardium et cor aliquando a sana conditione mutata reperiuntur. Cor ampliari potest, fabrica ejus musculosa corrupta, et parietes ejus inde tenuiores reddi, quod, ut fertur, per Stethoscopium, perstante vita, detegi potest. Valvulae in os versaе, polypi, ampliatio, quin et aneurisma aortae thoracicae, simul cum Hydrothorace adesse possunt. In Hydropicis, pericardii liquor sæpe insolita copia existit. Quibusdam profecto opinio est, hunc liquorem nunquam sano corpore existere, et tantummodo post mortem effundi. Res tamen vix ita se habere videtur, quoniam in cadaveribus cito post mortem inspectis plerumque invenitur. Concretiones interdum sunt in variis partibus, prope valvulas; et polypi ibidem sæpe videntur. MACLEAN* censet has in ipsa morte formari, quod dubitandum est.

* MACLEAN on Hydrothorax.

Membranæ quoque thoracis omnigenam mutationem subeunt, quod ad structuram aspectumque attinet, secundum causam, diuturnitatem, vehementiamque morbi in singulis exemplis.

Fieri nonnunquam potest ut homo plane Hydrothorace implicitus, aquæ fluctuatione etiam audita, in febrem incidat atque morti cito succumbat, in quo tamen post mortem nihil humoris inveniatur. Non ideo vero censendum est, aquam nunquam adfuisse : absorberi enim potuit in hujusmodi exemplo, et mors nihilominus inde afferri.

DE CURATIONE.

MEDENDI consilia sunt, primo ut humorem effusum tollamus, dein ut indicia molesta sublevamus.

Prius consilium absolvi potest duplici modo ; aut per medicamenta, aut humorem emittendo per thoracis paracentesin.

Vencesectionem vix adhibere licet, nisi in corporibus plenis inter ipsa morbi initia, nisi manifes-

ta sunt congesti sanguinis signa, aut magna spiritus difficultas, venis cervicis simul turgidis pulsusque pleno, subinde oritur. Siquando æger maxime infirmus est, detractio sanguinis specialis multo magis conveniet ad sanguinis motum per vasa thoracis expediendum. Hirudines vel cucurbitulæ partibus juxta tracheam admotæ, in nonnullis exemplis multo magis proficiunt. An effectus cucurbitularum salutaris attribuendus est stimulo vasis minutis sanguine distentis proxime admoto, quæ, parte sanguinis contenti sublata, ad contractionem validiorem inde ciantur, an potius oritur a sensu insolito nervosis fibrillis sub cute distributis impertito, quæ, submota solita aëris pressura, ad novam insuetamque actionem concitentur?

Epispastica multo cum commodo imponuntur, quum jam inflammatio, justa curatione antiphlogistica, imminuta est. Emplastra vesicatoria alternatim utrique lateri applicanda sunt, si est cur credamus Hydropem totum thoracis cavum occupare. Propria actio, quam in genere sanguifero atque absorbente, commovent, multum confert ad morbi levamen, et MACLEAN hoc modo

de iisdem loquitur : “ There is reason to believe, “ the irritation they sometimes excite in the “ urinary passages, tends to facilitate the operation of diuretic remedies *.” Quidam † id epispasticis, in malis hydropicis, objecerunt, quod ulcera sordida et gangrænam etiam concitare queunt : quod profecto fieri potest, si nimis diu continentur.

Setacea quoque et fonticuli cætera remedia haud parum adjuvant. Quidam ‡ suaserunt ut inserantur in costarum intervallis, quo perpetua sit humoris evacuatio quam proxime ad partem quæ laborat. Si vero non proficere reperiuntur, mature tollenda sunt, quoniam ægrum plurimum infirmant atque exhauriunt. CELSUS § laudat thoracis frictiones cum oleo. Hanc ad rem SENEAX || linimenta volatilia suadet, quin et

* MACLEAN, op. cit.

† CULLEN's First Lines. “ De Hydrope.”

‡ DONALD MONRO on Dropsy.

§ CELSUS, Lib. iii. cap. 54.

|| Annales de Medicines Cliniques de Montpellier.

Digitalis Tincturam ibidem applicari jubet. Huic curationi maxime objiciendum est, quod digitalis incertæ actionis est, quodque timendum est, ne paulatim se accumulet in corpore et tandem hominem interimat.

Cathartica.—Purgantia drastica et salina, augendo secretionem a glandulis intestinorum, ad humorem e corpore ejiciendum atque ad validiorem absorbentium actionem movendam aptantur. Non nisi in initio hujus morbi conveniunt, et quidam * omni tempore ejus ea recusant; quippe quæ diu adhibita magnam afferant infirmitatem. Exempla vero tradita sunt, in quibus pauca Elaterii grana, ut decet, sumpta, congios etiam humoris per renes alvumque detraxerunt. Siquando jecur vel lien duritie affectus hunc morbum genuit, frictiones ex Hydrargyro juxta has partes, et pilula Hydrargyri alternatim sumpta, cum satis magna pilularum scilliticarum copia ut levio-rem nauseam concitet, plurimum proficient.

* MACLEAN, Op. cit. Etiam MEAD, Mon. Med. cap. 8.

Diuretica.—Incerta diureticorum actio plurimos suavit ad alia curationis genera confugere. Scilla vero a CELSO etiam adhibita est, et a multis auctoribus laudata est. Potassæ Nitratem, Super-Tartratem et Acetatem, ex multa aqua solutos, adhibere jure licet. Nonnullis opinio est, hæc medicamenta non prodesse nisi ex magna aquæ copia, in qua sumuntur; videntur autem vim propriam in renes exercere. Doctor CULLEN arbitratur magnam aquæ frigidæ copiam pro diuretico commode sumi. Doctor FOWLER Colchicum laudat; quod tamen, ut videtur, cutis excretionem magis quam urinam afficit, neque tam idoneum est quam Digitalis, quæ fere pro specifico habenda est. Tinctura satuta videtur maxime expedire. Quibusvis ex his medicamentis adhibitis, si urinæ copia augetur, si color ejus dilutior est, si sedimentum copiosius fit, putandum est hoc remediorum genus convenire: quin et si quacunque via humor excernitur, ad CELSI opinionem accedendum est: “Si plus humoris excernitur quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est*.”

* CELSUS, Lib. iii. cap. 21.

Emetica.—Antimonii Tartras ita sumptus ut vomitum plenum moveat, primis hujus morbi temporibus, excretiones maxime copiosas reddet. Idem plurimum promovet absorbentium actionem, et ex effectu inde in toto corpore edito, sæpe omnem humorem effusum brevi ejecit. Iterum atque iterum sumendus est, si prosperi ejus effectus non cito moventur. In ulterioribus hujus morbi temporibus non licet eum omnino adhibere, quoniam pulmo vix queat tolerare auctum sanguinis motum, et aliquod ex vasis sanguiferis facile rumpi potest. Ipecacuanha exigua copia capta tunc melius conveniet, quæ expectorationem promoveat: expectoratio enim difficilis multum molestiæ creat, atque alia indicia admodum exasperat.

His remediis adjici potest Electricitas, quæ in forma idiopathica hujus morbi utilis forte invenitur. Leviores ictus per diaphragma, musculos inter costas dorsumque, justam vasorum actionem movere potest, absorptionemque præstare: ea tamen nisi conjuncta cum aliis remediis fere nullius est momenti.

DE PARACENTESI THORACIS.

ANTIQUI aquam per thoracis paracentesin emis-
serunt, quanquam de ea HIPPOCRATES dixit :
“ Ubi aquam emiseric, sitis corripit et tussis, et
moritur.” Per plures annos jam elapsos in de-
suetudinem fere abiit: medici quibusdam medi-
camentorum generibus confisi hanc curationem
obliti sunt, aut saltem pro periculosa atque inutili
curatione habuerunt. Nonne vero hujus cura-
tionis neglectus contrarius videtur opinionibus
quæ vulgo apud medicos hodie sustinetur.

Si inflammatio urget, vasis sanguine distentis,
opportuna venæsectione levamen protinus affe-
runt; aut si suppuratio ad summum jam perve-
nit, pus protinus evacuatur ne retentum plus
noxæ facessat: in hoc exemplo medici non ex-
pectant ut vasa tollant secretionem corpori noxiam
infestamque. Quare igitur non debemus humo-
rem in thoracem effusum emittere, quum ejus
copia tanta sit, ut hominem fere strangulet. Ir-

ritatio, quæ inde oritur, sæpe haud parvam febrem symptomaticam affert. Contra autem jure affirmari potest, quoties patet vitium organicum esse in aliqua parte aut in ipsis vasis, quale celeriores humoris coacervationem efficeret, minime oportere paracentesi uti; quum rebus ita se habentibus, æger non posset non multum infirmari tanto humore e corpore conquassato detracto, et eventus ipse fatalis quem evitare volumus, festinari queat. Paracentesis maxime proderit, siquando morbus subito accessit et per se, nullis aliis malis comitantibus, urget. Non modo vero licet ad hanc curationem confugere, sed ægri commodum eandem postulat, quoties videtur levamen pro spatio tantum allatura; et si e duodecim exemplis unum prospere cedit, operæ pretium erit eandem tentasse. Hæc tamen curatio nunquam periculo caret, si ad ejus sequelas spectamus. Eidem objici potest, quod si humor effusus in sacculo contineatur, metuendum est, ut in eum incidatur, quodque multum mali oriri potest, si pulmones, pericardium aut ipsum cor forte lædatur. Cæterum, si sacculus satis magnus est, vix fieri potest ut aliquis in eundem non

incidat, et nemo sanus conaretur id facere nisi is esset ut facile incideretur. Quidam * ultro pericardium ferro penetrarunt, neque aliud incommodi inde ortum est. GALENUS † tradidit, se partem pericardii submovisse, atque hominem brevi ad sanitatem rediisse; et SENAC ‡ plura insignia exempla attulit; ex quibus patet vulnus substantiæ musculosæ cordis, minime protinus lethale esse. Id quod maxime vetat paracentesin thoracis adhibendum esse, in eo ponitur, quod si hydatides sese colligerunt, parum valeret ad eas submovendas. Quod vero rarius fit.

Hæc curatio peracta est inter graviditatem § etiam; et plura exempla ¶ proponi queunt, ex qui-

* Cases of Professor ROMERO, in JOHNSON's Journal, Dec. 1810.

† GALEN, de Anat. Administrat. Lib. vii. cap. 13.

‡ SENAC. Traité de Cœur, tom. iii.

§ MORELAND, Philosoph. Trans. vol. 56.

¶ MORAND, Memoire de l'Academie de Chirurg. tom. ii. p. 547. M. SENAUX, Account of Case treated by Baron LARREY, &c. &c.

bus perspicuum fit minime lethalem aut ejusmodi esse ut nunquam adhibeatur.

II. Proximum est ut de remediis, quæ indicia molesta sublevant, dicatur. Medicamenta sedantia quæ hanc ad rem usurpari possunt, sunt Opium, Hyoscyamus, Cicuta. Antispasmodica in exemplis vetustis magnum commodum afferre possunt; et conjuncta cum medicamentis expectorantibus, signa pectus infestantia admodum levare possunt. Exempla vero incidunt, in quibus ex vitio pulmonis ipsius incepto, aut ex magna humoris effusi copia, ne minimum quidem levamen præbent. Quum res ita se habent, remedium quod maximum promittit spem in Acido Hydrocyanico invenitur: Id expectorationem promovet, et per aliquod tempus adhibitum plerumque id efficit, ut æger minore incommodo recumbat. Actio ejus videtur in eo poni, ut sedet atque locum præbeat remediis quæ effusum humorem tollere possint.

Mihi occasio fuit videre ejus usum in exemplis, ubi Hydrothorax conjunctus est cum vitiis organicis pulmonis, jecoris et lienis; atque in

his haud parvum attulit commodum, quale nulla alia remedia præstare possent. Alii* effectum similem hujus medicamenti experti sunt, in morbis naturæ diversæ. Si proclivitas tantummodo est ad effusionem, hoc remedio sumpto, ita ut brevi corpus afficeret, affusio etiam prorsus prohiberi posset.

DE PROPHYLAXI.

Ex Hydrothorace recidivum malum maxime metuendum est, quoniam firma valetudo vix unquam homini redditur; causæ igitur mali sedulo præcavendæ sunt. Hanc ad rem summa animi attentio ad diætam intendi debet: quæ sit satis levis et nutriens. Constare oportet præcipue ex gelatina animali et justa materiæ farinaceæ proportionem. In corpore leucophlegmatico cibus ex frugibus admodum parce sumendus est. Homines infirmos adjuvare licet, medicamentis roborantibus, stimulantibus, idonea exer-

* MAGENDIE, Memoire, 1817. ELLIOTSON's Treatise, GRANVILLE's Treatise.

citatione tum corporis tum mentis, quæ post certa intervalla continuo adhibenda est. Intendus est animus ad priorem vitæ consuetudinem, ad ætatem et sexum. Variæ aquæ minerales, frigidarium et rus utilia sunt. Regio montibus collibusve abundans evitanda est; quanquam enim aër purior est, nemo ex hoc morbo convalescens potest impune tolerare fatigationem ascendendi acclivum. Calor corporis servandus est quam maxime æqualis idoneo vestitu, et evitando cœlum humidum aëremque nocturnum. In ple-
risque exemplis ea generalis et maxime efficax præcavendi ratio est. Medico vero arte sua satis instructo, ea quæ ad singula exempla accommodantur, facile sese suggerent, ita ut possit difficultates superare quæ incidant eo modo qui Medicinæ honorem faciat.

Ad finem jam perduxi ea quæ proferre visum est in hocce Tentamine: quod lubenter suscepi, jubente hac Alma Academia Edinburgena, cui tantum debeo, ut nunquam non optem eandem posse summum apud seros nepotes reportare honorem.

FINIS.



